Ex legato D: Equitis Antonij Francisci de Marmij

PARADISVS VOLVPTATIS EVERSVS,

SIVE

DE CHRISTI DOMINI CRVCIATIBVS.

ORATIO

IO. BAPT. ANDRIANI SOC. IESV

Habita in Sacello Pontificum Vaticano

AD SS. D. N. VRBANVM VIII.
IPSO PARASCEVES DIE.



ROMÆ, Typis Hæredum Francisci Corbelletti. 1643.

SVPERIORVM PERMISSV

EMINENTISSIMO, AC REV.^MO

PRINCIPI

MARCO ANTONIO

S. R. E. CARD.

FRANCIOTTO

EPISCOPO LVCENSI,

ET COMITI IMPERIALI.

IO. BAPT. ANDRIANVS FEL.

O*RATIONEM affero*, Princeps Eminentissime, *quæ prima quidem facie Paradisum præfert; sed mirum quantum horroris cælat, ac spinarum in sinu! Euersum nempe nulla non ex parte Paradisum præfert. Etenim & quas*

quas prodiga manu ſeminauit inſoleſcentium atrocitas Hebræorum, & quas omni prorſus horrida nomine ſerere potuit aſperitas noſtra ſpinas, gerit. Illam propterea ſiſto Tibi, Cardinalis Ampliſsime, qui noſtrũ qualemcumque præportamus horrorem, amabili poteris amænitate veſtire, ſi ſolum aſpicias. Siquidem non modò quidquid auguſto pede calcatis Roſa fit, ſed etiam quidquid oculo dominatore conſpicitis, aut Purpura contegitis regnatrice Roſam fieri iubetis, qui Roſarum inſtar explicatis adeò nobile Cardinales. Roſea quippe, an regia? poteſtate floretis quotquot Principes in purpura Vaticana regnatis. Huc ergo patrocinantem explica Purpuram Tuam, Princeps Eminentiſsime; fiet enim haud dubiè, vt Euerſus hic Paradiſus Voluptatis, omni penitus inhorreſcentium rigore ſpinarum vel abſcondito, vel ſublato faciliùs adeatur. Vale.

ORA-

ORATIO.

DIES hic atrato flebiliter Sole tenebrosissimus B. P. suã cunctis in nocte relegendum aperit euersum pridem fatali pluuiarum vltricium inundatione Paradisum voluptatis. Glebam enim illã terræ beatioris, quam è primitiuo terrarum omnium flore deliba- *Gen. 1.*
tam deliciarum, voluptatumque nouale feracissimum constituerat Deus, eluuionis olim fluctibus latè debac- *Gen. 6.*
chantibus obrutam, euersamque gemit adhuc hominum genus. Quid enim? Voluptatibus, delicijsque *Bened. Perer in Genes. lib 3. q. 5.*
consepultis sola nobis ad lenimentum tristitiæ superesse poterant acerba solatia lachrymarum. Hæc autem amplificata calamitatis exaggeratione repetere

cogimur quotquot ingruentium exundatione plagarum, tormentorumque tempestate sæuissima demersum ingemimus Christum, qui verè voluptatum omnium Paradisus, verèque delicium erat generis humani. Totam ergo seriem rei paucis hoc loco retexere quis vetat? vbi vel in asperrima ridet hyeme lachrymarum roseus hic humanæ gloriæ Paradisus.

Suet. in Tito cap. 1.

Et sanè quis hortum te voluptatis non agnouit, ò salutis humanæ sator amœnissime, cum in ampla cœnatione Syonis ex te, qui vita omniũ eras velut è vitæ ligno decerptum veræ pomum vitæ, corpus tuũ, mortalibus dabas? nec vt ille, qui mendax ab initio fuit ementitã tu promisisti diuinitatem comedenti de ligno sciẽtiæ; verè enim efficimur Dij quicũque vescimur te, qui scientiarum dominus es, & amoris opificio tui condita diuinitate saginamur. O diuinissimum vitæ pomum! ò pomum enimuero Paradisi, quod non tam sapit, quam ipsum, qui Christus est in hominum pectora Paradisum inserit! Felicissimam terræ mammam nuncupatione tenerrima nouimus appellatam viuam illã, perennemque scaturiginem deliciarum; qua salsæ maris aquæ traductæ in lacteam ita dulcedinem demigrarunt, vt terræ vagientis adhuc infantiam opportuna superfusi lactis irrigatione refecerint. Aeterni verò Patris mamillam immortale Verbum veriore dictum nomine nõ ignoramus: vtpote quod in lacteum planè poculum extillauerit hominum reficiendo generi diuinitatem suam. Et hæc tam prolixa studia refectionis nostræ quęsito vos, ò Iudæi, compensabitis excidio refectoris?

Gen. 6. Mar. 14. Ioan. 14. Gen. 2. Gen 3. 1. Reg. 2. Rup. Abb. lib. 1. in Cãt. cap. 4. Clem. Alex. 1. pæd. c. 6.

E cœnatione igitur in hortum Gethsemani Dominus venit, vt quem terræ tractum (si verum est, quod legimus) longa ridentium hortorum amœnitate nobilem, ceu Paradisum voluptatis habebant Hebræi, sua illum

Matth. 26.

illum certius faceret immigratione, moràque Paradisum. At quæ terra lacte manauit in monte Syon, disruptis latè venis sanguinem fundit in villa Gethsemani. Cruentis tota distinguitur guttis particula beatissima terrarum. Num suis ita vernat in rosis? At obuersantium riget hyems nimis aspera tormentorum. Verius ab excitatis mœstitiæ, pauorisque nubibus imbres illi purpurei cadunt, futuræque mox eluuionis magnæ roraria veluti rudimenta prosiliunt. Neque callidus huic etiam perdendo Paradiso defuit serpens. Quis enim serpente quouis, & surda contumaciùs aspide nocentiorem fuisse Iudam neget, qui amica sapienter incantantis Venefici voce reiecta, ipsum etiam non in silentio momordit, sed in osculo cantatorem? Agrum inuenerat homo nequissimus, in quo thesauri omnes erant absconditi diuinitatis; & dum vendere debuerat omnia, quæ habebat, vt agrum illum emeret, eundem mercator pessimus vendere maluit, vt diuenditi pretio Paradisi agrum possideret de mercede iniquitatis. Agrum inquam sanguinis habuit in sepulturam peregrinorum vir ille sanguinum, ac verè dolosus, qui osculi signo, tessera scilicet hospitali sanguinem iustum tradidit in æternum exilium à Domino peregrinaturus. Qui enim integer vitæ nusquam fuerat, ex arbore suspensus, mediusque disruptus, abijt in locum suum redintegrandus nusquam. Hunc verò serpentem inter oscula blandientia proditorem ne, an perditorem? solæ poterant sequi viperæ ducem. Siquidem appellatione verissima mortalium maximus Ioannes Baptista viperarum genimina nuncupauit Hebræos. Vix ergo virulentis bracchiorum spiris obuium sibi Redemptorem strinxit perfidiosus Draco, cum in laqueos explica-

Arr. Mon in Matth. c.16. Luc.22. Luc.22. Gen.3. Psal.57. Eccles.10. Matt.13. Coloss.2. Matt.13. Act.1. Matt.27. Psal.54. Matt.27. 2.Cor.5. Hor.1.car. od.3 Act.1. Luc.3.

Ioan.18. plicarunt sese tenacissimos viperæ sequaces, & ligauerunt eum. Ah quid Paradisum occupatis, quæ vestris debitam moribus inferorum Lybiam viperæ te-
Apoc.12. netis? Traxit olim cauda sua tertiam stellarum partem è Paradiso princeps ille viperarum, ac parens Draco; ipsum verò trahere Paradisum non potuit, quãquam fortasse desiderauit. Ita ne sceleratæ licuit so-
Ioan.8. boli desideria facere Patris sui? Tu verò sic vt Ada-
Eccl.respon. mus in Paradisi custodia Simon dormis, quem suis
Cant.1. in vineis ponendum custodem Dominus destinauit? Neque tu Iudam vides, quomodo non dormit; festinat autem bonornm illud nobile seminarium tradere Iudæis? Itane somnus vbique voluptatis hortum perdit, dum vbique vigilantissimus Draco pro-
Luc.22. dit? O qui solator Angele de cæli sedibus aduolasti, cur flammeum illũ gladium, atque versatilem non di-
Gen.3. stringis, quo Paradisum à Serpentis iniuria custodire cælites assueuere? Rescinde quæ libertatis assertorem stringunt vincula, nexusque religantium viperarum. Angelorum nempè est hortum seruare voluptatis. At gladio se defendi vetat Angelico, qui nec
Ioan.3. exempto Petri gladio, nec duodecim legionibus An-
Matt.26. gelorum custodiri permittit se. Et interim qui venerunt de nocte latrones impactis calcibus terram illam sanctissimam premunt: perinde quasi violentorum pedum positione sacrilega Paradisi possessionem inire
Ioan 8. valeant ij, quibus, vt è Patre Diabolo procreatis, ipsa iam in hæreditatem, ac latifundium tartara profundiora cesserunt. Quo verò Paradisum violenter occupa-
Ioan 18. tum abstrahitis acerbissimi prædones? In Annæ Pontificis domum? At Paradisum domus illa non capit, quæ facta iampridem domicilium scelerum, ac tartarorum infame diuersortum fuit. Nec aliunde quam

ab

ab inferis excitatam credite fceleratiffimam manum, *Ioan.18.*
quæ oblatam percutienti maxillam temeritate nequif- *Thren.3.*
fima depalmauit : hoc eft genas illas, areolas aroma- *Cant.5.*
tum odoratiffimas barbarè deuaftare non horruit. An *Ioan.18.*
ad Caipham adducetis? Scilicet vt rore hic impuriffi- *Matt.26*
mo non irrigetur, fed obruatur. Cernite, quales in hortum voluptatis amœniffimum rores cadunt: quos videlicet è cœnofo oris infolentiffimi cęlo dare fputorum nimbos queunt fanniones importuniffimi, quorum in interitu fubfannabit olim iniuriarum vindex ęquiffi- *Prou.1.*
mus Deus. Qui de cęli vena puriffima rores pluunt, & *Virg.Geor 4.*
in mellis cęleftia dona concrefcunt, fyderum faliuam *Plin lib. 11.c 12.*
fpeciofo vocabulo nuncupatos accepimus. fyderũ nempe eft ad mellis conficienda munera faliuare. At quam amarulentos circumfonantium faliuarum globos eiibrant qui tantum à fyderibus difcrepant obfcuriffimi nebulones! Neque verò temeritati fatis, ac furori datum fuit. Verberatur non grandine, fed furiofa vul- *Hor.3.car. od.2.*
nerum tempeftate vinea Domini Sabaoth, ac deuafta- *Ifai. 5.*
tur. Sufpicite lacertofos illos fuftuarios, qui profun- *Ioan.19.*
diùs adacto flagellorum vomere cæleftem illam terram profcindunt, nullo cæteroqui ligone violandam, aratro feriendam nullo, vtpote quæ vel inarata fru- *Ouid.met. 1.*
ges ferebat, & bona per fe dabat omnia. Ah fiftite iam tandem auidiffimi fanguinis cultores. Quid fu- *Pfal. 128*
pra virgineum dorfum diutiùs aratis nulla non ex parte damnabiles aratores? Arari non debet aratro mortis terra illa, quæ fertilitate planè voluntaria vitam tulit. Et adhuc pergitis coloni crudelitatis incultiffimi? Producitis adhuc fulcum veftrum, in quo mor- *Ibid.*
tem feratis, certiffimam demeffuri fegetem perditio- *Hymn.SS.*
nis? Neque enim Paradifum laureati poffidere, nec *Petri, &*
effę quondam in delicijs Paradifi poterunt, qui nefa- *Pauli.* *Ezech.18.*
rio

rio conatu student Paradisum perdere deliciarum omnium perditissimi vastatores. An inconsulto linguæ lapsu verbum hoc excidisse quispiam credit? At ò quam verè delicias nostras perditis, Paradisumque deuastatis, dum eundem spinarum facta semente con-

Ioan. 19. *Plin. lib. 18. cap. 3.* feritis, & coronatis, aratores nempe, colonique criminum planè laureati, planeque triumphales. Qui cultrice quondam vernauit innocentia Paradisus vo-

S. Basil homil. 5. in hexam. Gen. 3. luptatis omni procul ab horrore spinarum eduxit rosas. Nec illæ aculeatam ad inferenda vulnera cohortem instruxerunt, donec in Adami fuit opere maledicta terra. Quis verò ad hoc vsque temporis punctum sine spinis floridam, amœnamque Nazarenam illam terram non vidit? in spinas autem degenerare

Isai. 5. compulit Synagoga. Ita vinea quondam electa, quæ vt vuas faceret expectabatur, Satoris optimi frustrata votum, quas ingrata seminaret, spinas fecit, atque

Gal. 3. adeò quæ pro nobis facta maledictum terra dicitur,

Gen. 3. coacta fuit spinas, ac tribulos germinare. Sed vno spinarum frutice syluescente, non ea penitus euersio confecta fuit, quam bonorum omnium euersores enixè contendunt. Crux igitur, hoc est lignum mortis educitur, vt in sinu vitæ conseratur. Et verò nihil poterat aptius regionem vitæ destruere, nisi lignum ferale mortis. Quod vt effossæ terræ tenacius adhærescat, clauos adhibent barbari consitores, iisdemque

Ioan 19. demque suffigunt vitam. Ruptis inde fontibus abyssi

Gen. 7. magnæ, apertisque cataractis, aquæ dolorum, & sanguinis inundant ad excidium irreparabile Paradisi. Emicantibus vulnerum omninò quatuor venis in qua-

Gen. 2. tuor capita diuiditur fluuius ille, qui non tam è loco,

Ioan. 19. quam è latere voluptatis egreditur ad euibratæ militis lanceæ fossionem excitatus. Dicerem eo velut ex

vbe.

vbere nutriendam Ecclesiam. Verè enim qui sanguinem Iesus fundit, nutritor Ecclesiæ est: nam, quæ cordis è sanguine concreta prodiuit in lucem, eodem enutrienda sanguine est, vt ijsdem, quibus illa constitit enutriatur. Sed qui lac est Ecclesiæ sanguis, euersor idem Paradisi est. Licentius enim exundantis altitudine maris occupatus, ac tempestate demersus apparet nusquam. Eo proinde sublato, cum pulchrum oculis, aspectuque delectabile superfit nihil, solis orbatus oculo videri vult orbis terrarum. Adsunt è monumentis mortui vitæ restituti, vt quam fecerunt inundantes aquæ videant vastitatem. Insolitis terra tremoribus excutitur, saxa dissiliunt, diffractis vndique rupibus comploratur. Scilicet omnia visa sunt in excidium ruere voluisse obruto Paradiso. Qui tamen obrutus cæteris, vni tibi è tanta plagarum, & sanguinis eluuione supernatauit ò bone Latro, qui vnus vel hodie vocaris in Paradisum. Vtere tu sorte tua, & aquarum multarum diluuio, impetuque distractum à nostro procul orbe Paradisum sequere. Nos enim delicijs omnibus, ac voluptatibus abdicatis, in lachrymas ibimus & querelas. Nefas quippe est voluptatibus indulgere, vbi lachrymis deplorandus omnibus est

S. Ambr. de S. Paulo. *Psal. 68.* *Gen. 3.* *Luc. 23.* *Matt. 27.* *Luc. 23.* *Psal. 31.*

PARADISVS VOLVPTATIS EVERSVS.

DIXI.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſt.

Io.Bapt.Alterius Epiſc.Camer.Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Serronius Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P.Fr.Michaelis Mazarini, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ord. Præd.